

Bijl 2 num. 25.

DISSE^RTATI^O EPISTOLICA
DE
ICTO PHILOSOPHO PRACTICO

1748, 12

QVA
VIRO MAGNIFICO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
IOHANNI GEORGIO PERTSCHIO

SERENISSIMO BRVNNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCI A
CONSILIIS AVLICIS, IVRIS VTRIVSQYE DOCTORI ET PROFESSO-
RI IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA CELEBERRIMO, DICA-
STERII AVLICI, QVOD GVELPHERBITI EST, AS-
SESSORI MERITISSIMO

13
VICERECTORIS DIGNITATEM

IN ALMA IVLIA CAROLINA
DIE XXV. IVNII MDCCXLVIII.
PRIMVM FELICISSIME SVSCIPIENTI

DECENTISSIME GRATVLATVR
CHRISTOPHORVS MATHIAS SEIDEL
L. L. C. ET SOCIET. TEVT. HELMST. MEMBRVM.

HELMSTADI
LITTERIS LEVCKARDIANIS.



KÖN.FRIED.
UNIVERS.
ZV HALLE

VIR MAGNIFICE ET
ILLVSTRIS!

PATRONE AC PRAECEPTOR
AETERNVM DEVENERANDE!

Si vñquam officia nobis sacra esse debent: certe non vltima ea sunt, quae Fautoribus atque Patronis nostris dicare solemus. Hoc suadet obligatio naturalis, hoc monent gratitudinis leges, hoc vult denique aequitas, vult iustitia. Hi sunt etenim, qui dum beneficiis suis nos condecorant, simul validissimis fibi vinculis nos reddunt obligatos. Hominis ingratia atque iniusti notam parum effugere videtur ille, qui obligationem hancce improbe negli-

gligens, atrox ingratitudinis crimen committere haud erubescit. Non mirum igitur **TIBI** videatur **VIR ILLVSTRIS**, si obsequii et pietatis officia, quae **TIBI** debeo plurima, **TIBI**, quem Praeceptorem, Fautorem et Patronum meum deueneror summum, **TIBI**, cuius in me beneficia extant amplissima, quatenus tenues meae vires permittunt, implere allaboro. Culpandum me namque omnino arbitrarer, si hanc occasionem, officiis eiusmodi aliquatenus satisficiendi **TIBIQUE** nouam dignitatem congratulandi praetermitterem. Purpura iam amictus es splendidissima: Sceptra tenes dignitatis academicae signa praeclara; ornamenta meritis **TVIS** dignissima. Omnes boni applaudunt, Musaeque nostrae de nouo gubernatore, quem in **TE** habent, laetantur. Ego vero praecipue inde singulari laetitiae & obseruantiae affectu afficio, quem vt **TIBI** per litteras hasce declararem, omittere nolui nec debui. En **VIR EXCELLENTISSIME!** seriem motiuorum, has litteras ad **TE** exarandi, mihi suadentium. Optarem equidem, vt illis laudem **TVAM**, dignitati **TVAE** respondentem exprimere possem; at non solitum me huic negotio imparem esse sentio, verum etiam laudis **TVAE** rationes tot tantaeque

3.

que sunt, ut, ad quarum contemplationem oculos primum dirigam, mihi haesitandum sit. Non dicam hic de illustri TVA eruditione, quae inter excellentissimos, quos habemus ICTos, locum TIBI paravit eminentiorem. Taceo quoque scripta TVA numerosissima, doctissima, ingenii TVI partus felicissimos, amplissimis monumentis aeternam nominis TVI memoriam consecrantes. Omitto caeteras virtutes TVAS, omnes veneratione ac voluptate permulcentes, quibus easdem proprius conspere contingit. Vnicum occurrit, quod silentio praeterire haud possum. TV, VIR ILLVSTRIS! ICTus es eximius, sed TV simul philosophum practicum TE exhibes praeclarum. Aequo igitur accipias animo quaeso, si de ICto philosopho pratico quaedam sim allatus. TVVM hac in re exemplum semper ante oculos mihi posui, atque in determinandis illius characteribus ad TE respexi. Non potuit igitur esse non, quin hoc conamen mihi facile et explicatum euaderet, illustri TVO exemplo vberrimam materiam suppeditante. Sed nolo in laudes TVAS prolixius excurrere; probe namque scio, illas captu meo esse maiores, measque vires digniter illis celebrandis parum

sufficere. Ante vero quam dicendi finem faciam, regimen academie nostrae illustris, cuius gubernacula hodie tractare incipis, demissa mente TIBI gratulor. Precor, ut splendor Almae Iuliae Carolinae, TE moderante, augeatur, prouehatur, vt TIBI summus rerum arbiter ad munus hoc feliciter gerendum vires concedat largissimas, TE que vna cum TVIS semper seruet saluum et incolumem. Quod reliquum est, vt fauore TVO ac patrocinio me nunquam non prosequi velis, enixe oro rogoque. Vale !



§. I.



§. I.

omo ad felicitatem perducendus va-
rias suscipere debet actiones mora-
les, secundum varios status, quibus
circumscriptus esse potest. (p. pr.
mor.) Regulae secundum quas
actiones eiusmodi dirigere obliga-
mur, audiunt *leges*, actiones ipsae vero ex obligatione
prouenientes *officia* adpellantur.

§. II.

Leges sunt vel *naturales* vel *positivae*. Illae dicun-
tur, quae moralitate actionum obiectiva nituntur, siue ex
principiis rationis demonstrari possunt; hae autem, quae
ab arbitrio pendent legislatoris, siue moralitatem habent
subiectivam. Illae tam ad statum hominis naturalem, quam
ad statum socialem in genere referuntur. Hae vero ad sta-
tum hominis socialem stricte spectant. Leges positivae
in republica latae, dicuntur *leges ciuiles*.

A

(*) Omnes

(*) Omnes legum species tam naturalium quam posituarum prolixius hic repeteremus nolumus, quum iam satis superque de illis egerint eruditii. Videas interim C E L D A R I E S I L I n f i. Iurisprud. vniu. Cap. III.

§. III.

Legum naturalium regula generalissima haec est: *perfice te et alios.* Iam quum nemo moraliter obligari possit, nisi ad actiones moraliter possibles, i. e. bonas; (p. p. Iur. N.) pater omnes leges positivas, quodsi rationabiles fuerint, legi naturali non aduersari debere.

Cor. I. E. omnis lex positiva ex parte naturalis est, quum semper ad perfectionem promouendam tendat.

Cor. II. Quoniam felicitas absque perfectionibus cogitari nequit, actiones autem nostrae ad perfectiones quaerendas lege determinantur, apparet felicitatem provenire ex officiis (§. 1)

§. IV.

Ratio legis est principium vnde moralitas eius explicari potest, estque vel proxima, vel remota et ultimata; Haec procul dubio in prima lege naturali (§. III) semper lateret. Distincte ac adequate aliiquid explicare est, rationes aliquius rei tam proximas quam remotas indicare. Ergo leges adaequate explicaturus in earum rationes et proximas et remotas inquirere debet.

Cor. I. Quod si ratio remota cum proxima consentiat; tunc lex erit perfecta, imperfecta autem, si dissensus adfuerit.

Cor. II. Quoniam lex positiva continet obligationem mixtam, scilicet naturalem et arbitriam: Lex positiva tunc erit et

et perfecta et rationabilis, si obligatio naturalis, pluribus accendentibus motiuis, per obligationem arbitrariam confirmatur, et corroboratur.

§. V.

Leges scientifice et solide pertractare, nihil aliud est, quam nexus obligationis naturalis cum positiva, sive rationes legum remotas cum proximis (§. IV) demonstrare.

§. VI.

Per *Ius* hic intelligimus complexum legum. *Iurisperitia* est scientia legum, *Iurisprudentia* vero est habitus leges ad facta sive ad actiones liberas dextre applicandi. *ICtorus* est igitur et *Iurisperitus* et *Iurisprudens*.

Cor. I. Scientia legum continet cognitionem rationum, quibus leges constant. (§. V.) Ergo *Iurisperitus* in legum rationes inquirere debet. (§. IV.)

Cor. II. Scire aliquid hancque scientiam applicare ad casum obviuum, sunt diuersa; Ergo *Iurisperitus* a *Iurisprudente* differt.

Cor. III. Quoniam applicatio alicuius rei semper supponit eius cognitionem, igitur a *Iurisprudente* ad *Iurisperitum* semper valet consequentia.

Schol. Iuris Romani compilatores aliam *iurisprudentiae* exhibent definitionem. Dicit Imperator in Lib. I. Digest. Tit. 1. §. 10. de I. et I. *Iurisprudentiam esse diuinarum atque humanarum rerum notitiam, iusti ac iniusti scientiam*. Ut etiam loco cit. §. 1. *Ius, ars boni et aequi nominatur*. Hae definitiones quidem scientiam iuris recte iniuicunt, sed quoniam prudentia ex philosophorum mente, ad applicationem magis scientiae tendat, quam in nuda contemplatione subsistat, illa definitio quam supra dedimus, et cum mente hodiernorum ICtorum bene concordans, non immerito nobis arrisit.

§. VII.

Leges sunt vel naturales, vel positivae. (§. II)

B

Ius

Ius est complexus legum (§. VI) ergo concipi posse Ius naturale, et Ius positivum me non monente, patet. Ergo eadem differentia locum inuenit in Iurisperitia, Iurisprudentia, et ICto.

§. VIII.

Leges naturales pro diuerso hominum statu diuer-sas accipiunt determinationes. Iam vero homines vel in statu naturali, vel in statu sociali, in eoque vel oeconomi-co, vel politico siue ciuili considerandi veniunt. E. per se constat triplex dari ius naturae, nimurum Ethicum Oeconomicum, atque Politicum seu ciuale. Huic syste-mati legum subiungi possunt motiva, quibus obligatio-nes ostenduntur, media, quibus eiusmodi obligationibus satisfieri possit, ac tandem impedimenta, eorumque re-motio. Vnde prodeunt Ethica, Oeconomica, Politica. Hic scientiarum ambitus philosophiae practicae nomine insigniri solet.

Cor. I. Quoniam ad applicationem legum naturalium non parum confert cognitio legum practica, patet ICtum natura-lem philosophiam practicam negligere non debere.

Schol. Philosophia practica vniuersalis actionum moralium rite determinandarum tradit regulas generalissimas, ideo-que a C E L. C A N Z I O ingeniose vocatur Metaphysica mora-lis. Huius scientia in legum naturalium scientifica pruden-tia etiam est necessaria, quum qui scientia gaudet, asserta sua demonstare debeat, quod absque principiis primis f. genera-lissimis ex ase fieri nequit.

§. IX.

Quid sit Philosophus practicus, facile videri potest ex antecedentibus. (§. VIII.) At quia experientia teste varii termino significatus tribui solent; paulo distinctius hac de re loqui contuenit. Modo per philosophum practi-cum

cum intelligimus eum, qui habitu gaudet actiones suas liberas legibus naturalibus conformiter dirigendi; et sic notio virtutis iungitur ideae philosophi practici, quatenus contradistinguitur philosopho theoretico. Modo etiam hoc nomine salutatur, qui scientiam de veritatis philosophiae practicae possidet. Retineamus utrumque significatum, hoc cum termino conciliandum. Ita nobis est Philosophus practicus, qui scientiam iuris naturalis cum virtute coniungit.

§. X.

Cognitio viua est illa, quae voluntatem ad agendum reddit efficacem. Voluntas efficax est simul efficiens, si de impedimentis removendis est occupata; appellari potest inefficiens, si quidem ad agendum determinatur, actione vero ipsa ob impedimenta, non subsequente. Si ratio, ob quam non existit actio, ex cognitionis defectu promanauerit, cognitio illa appellatur nude viua, cui opponitur altera κατ ἐξοχὴν viua.

(*) Cognitio viua a multis quoque vocatur coniunctio. Inde ratio liquet, cur quis contra coniunctionem agere possit. Conf. CEL. CAR. GOTTH. MULLERI *philosophiam pract. viuu.* hac de re egregie differentis.

§. XI.

Iustitia est bonitas sapienter administrata, estque vel externa, vel interna, prout legibus vel perfectis, vel imperfectis attemperatur. (p. pr. I. N.) Posterior species *aequitatis* nomen induit.

(*) Ab hac Iustitiae definitione revera, non discrepat veterum illa, quod sit consans ac perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Conciliationem utriusque dedit Clar. I. C. STOCKHAVSEN *in diss. de sapiente obligat. div. per fata*, §. 29.

B. 2.

§. XII.

§. XII.

Philosophus practicus iuris naturalis habet cognitionem viuam. Gaudet enim Iuris Nat. scientia. (§. IX.) Ergo cognitione certa ac dubiis non vexata, quae cum voluntatem ad agendum determinet (p. pr. psych.) cognitione viua est. (§. X.)

Corol. Exinde philosopho pratico non sufficiens est cognitionis philosophicae et practicae cognitio historica.

§. XIII.

Philosophus practicus felicitatem et suam et aliorum promouere studet. Lex naturae nobis iniungit perfice te et alios. (§. III.) Philosophus practicus iuris naturae cognitionem viuam habet, (§. XII) igitur perpetuo fertur conatu, se et alios perfectiores reddendi. Continuum perfectionis studium idem est ac felicitatem quaerere. (p. pr. mor.) Ergo philosophus practicus felicitatem et suam et aliorum promouere studet.

(*) Potuisset haec thesis etiam ex virtute philosophi practici facile demonstrari.

§. XIV.

Philosophus practicus iustus et aequus est. Cum enim felicitatem suam, et aliorum promouendam studeat, (§. XIII) hoc vero sine iustitia et aequitate fieri nequeat (per pr. mor. confr. §. XI) sequitur, philosophum practicum iustum esse et aequum.

§. XV.

Icri idea si strictius et iuxta loquendi usum sumatur, denotat eum, qui cum scientia legum ciuilium habitum coniungit ius ad facta dextre applicandi. (§. VI.)

§. XVI.

Quoniam absque virtutum exercitio vero non datur felicitas (per pr. mor.) hoc autem prolixo doceat phi-

philosophia practica; facile patet, ICtum, quatenus ceu homo felicitatem suam adspirans consideratur, philosophia practica carere non posse.

(*) Scilicet ad felicitatem consequendam, philosophia opus est, et quam hoc potissimum philosophiae practicae negotium sit; nemo istam ignorare aut negligere debet. Philosophiam vero esse scientiam felicitatis abunde demonstrauit, *Clar. STOCKHAVSEN in scripto nuper edito. Gedanken von der Weltweisheit.*

§. XVII.

Sed demonstrabimus nunc etiam, ICtum, quatenus ceu talis consideratur, philosophum practicum esse deberre. ICtus scientiam legum haber ciuilium. (§. XV.) Ergo rationes earundem demonstrare debet (§. III. IV) et distincte et adaequate eas explicare tenetur. Iam vero omnes leges ciuiles ex parte sunt naturales, (§. III. Cor. I) ergo ICtus nexum obligationis naturalis cum positiva perspicere debet. (§. V.) Philosophia practica hasce obligationes naturales dilucide exponit (§. VIII.); exinde ICtus est philosophus practicus.

Cor. I. Stolidi agunt illi, qui philosophiam a Iurisprudentiae ciuilis foro arcere audent.

Cor. II. Quoniam obligatio naturalis semper antecedit obligationem politiam (§. 3.) Ius Naturae semper ante ius ciuile tractandum est, quod *contra GVNDLINGIVM* hic obiter notandum.

Schol. I. Demonstratio nostra exemplo veterum ICtorum aptissime illustrari potest. Nouimus Stoicos philosophiae practicae maxime operam dedit; cum Epicurei contemplationi Philosophiae magis dediti viderentur, munera non affectantes, quietis studiosi, ac cessationem ab omnibus officiis profummo bono habentes. Vitam practicam in foro eligentes Stoicorum placitis erant addicti; inter quos fere omnes Cor-

poris Iuris compilatores numerantur, praesertim autem Ulrianus, quod ex definitione iustitiae, L. I. ff. tit. I. lib. I. aliquis illius decisionibus patet. vid. ILL. EVERHARDI OTTONIS *Orat. de stoica ICtorum philosophia.*

Schol. II. Sunt quidem non pauci qui in ea haerent opinionem, qua Iurisprudentiam ciuilem plane in demonstrabilem esse, operose alii persuadere volunt. Sed possibiliter, insignem pariter utilitatem, doctissimi viri iam eruditissimis speciminibus, satis evicerunt. Illustrissimum vero hac in re testimonium ille novus legum codex nobis exhibet, qui nuper iussu et cura Potentissimi Borussorum regis divulgatus est. Quae in illo contentae sunt leges positivae omnes secundum naturales adornatae atque ex fontibus I. N. sunt deductae.

§. XVIII.

Maiores iniiciemus dilucidationem dictis, varias addendo obseruationes, quibus quid philosophia practica ad Iurisprudentiam ciuilem conferat, aptissime constabit. ICtus systematicam legum ciuilium habere debet cognitionem. (§. VI - XV.) Leges positivae ciuiles nullo modo scientifice, i. e. in nexu suo intelligi possunt absque legum naturalium notitia, earumque cum positivis comparatione. (§. V.) Ergo scientia, quae legum naturalium exhibet nexus, ICto est necessaria, atque inde obligatio philosophiam practicam excolendi oritur. (§. IX - XII.)

(*) Huc quodammodo pertinet, quod circa analogiam iuris fortiter commendare solent iustitiae sacerdotes. Hoc enim eo reddit, ut ex rationibus simul obiectiuis sapienter exponat ICtus leges ciuiles positivas. Nec minus hac de re consensum habemus Imperatoris Iustiniani §. ult. Inst. Tit. de I. et I. dicentis. *Ius ciuale collectum esse, ex rationibus naturalibus, gentium et ciuibus.*

§. XIX.

ICtus non tantum scire debet leges, sed et easdem ad

ad facta rite et dextre applicare. Applicatio legis ad factum dicitur *imputatio*. Dextre imputare igitur est, iuste legem ad facta applicare. Ex quo appareret ICTum non solum legum sed etiam factorum certa imbutum esse debere cognitione. *Factum* est actio libera existens. Actionum liberarum notitia continetur philosophia practica. (§. VIII Schol.) Inde ICTus noua ratione circa applicationem legum ad philosophiam practicam colendam obligatur, cum neque errorem iuris neque errorem facti committere debet. Error autem facti facilissime accidere potest, quando determinationes essentialis, quae ad factum qua tale requiruntur, non probe fuerint perspectae, attendendo magis ad extraessentialis, sive accidentales. Quo etiam spectat, si ad varias facti causas non accurate reflectat iudex, cum causa facti esse possit vel mediata vel immediata, deinde vel actualis, vel potentialis sive ex praeuisione. Omnium vero istarum determinationum originaria, et certissima notitia, exhibetur regulis philosophiae practicae, (p. pr. mor.) Ergo quid etiam hac in parte ICTo prodest possit philosophia practica, facile patet.

(*) *Leiulegus* vocatur ille qui ex ignorantia leges ad facta male applicat. ICTus gaudet scientia legum (§. XV.) et quia semper Iurisprudens est (§. VI.) a Iurisprudentia vero ad Iuris scientiam tuto concludere licet (§. cit. Cor. III.) sequitur ICTum ceu talem nunquam ac ne quidem ex parte leiulegum esse posse.

§. XX.

Nouimus denique tot tamque varii generis obuenire solere in foro casus, quorum non omnes legibus positius sunt determinati, quid circa illos iustum iniustumue sit (p. exper.) Interim tamen quoniam eiusmodi casus moralitatem quandam obiectuam habere debent, cum non dentur actio-

IO DISSERTATIO EPISTOLICA DE ICTO etc.

actiones indifferentes liberae, quatenus existunt. (p. pr.
mor.) Iudicis est item iuxta hanc moralitatem bene dirime-
re, iustitiae et aequitatis regulas sequentis. (§. XI.) Cognitio-
nem moralitatis obiectivae in casu obvio parat philosophia
practica (§. XVII.) Ergo ICTum philosophum practicum
esse noua ratione liquet.

§. XXI.

Euicta itaque veritate de philosophia practica ICTi, va-
ria nunc exinde concipere possumus corollaria.

- I. *ICTus Iuris naturalis cognitionem habet viuam.* (§. XII.)
- II. *ICTus felicitatem et suam et aliorum promouere studet*
(§. XIII.)
- III. *ICTus iustus et aequus est* (§. XIV.)
- IV. *ICTus virtutem exercet, atque sic vere philosophus est*
practicus. (§§. IX - XVI.)

(*) Ille qui leges dolose ad facta male applicat, *rabula*
vocatur. ICTus a nefando eiusmodi hominum genere sicuti
lux a tenebris differt. Est enim iustus et aequus felicitatem
aliorum promoturus, per consequentiam nunquam, quatenus
est ICTus (§. VI.) malo et sinistro animo in leges peccabit, i. e.
in applicatione legum nunquam deflectet a lege (§. III.) sed potius
philosophiam practicam egregio suo illustrabit exemplo.
Colophonem addemus hisce illustrem adscribentes locum ex D I-
G E S T. L. I. Tit. I. §. I. *Cuius merito quis nos sacerdotes appellat:*
iustitiam namque colimus: et boni et aequi notitiam profitemur:
aequum ab iniquo separantes: licitum ab illicito discernentes: bonos
non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque ex-
hortatione efficere cupientes: veram philosophiam, non simulatam
affectionantes.



Klemmstadt, Diss., 1748-49

ULB Halle

005 350 832

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



DISSERTATIO EPISTOLICA
DE
ICTO PHILOSOPHO PRACTICO

QVA
VIRO MAGNIFICO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
IOHANNI GEORGIO PERTSCHIO

SERENISSIMO BRVNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCI A
CONSILIIS AVLICIS, IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI ET PROFESSO-
RI IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA CELEBERRIMO, DICA-
STERII AVLICI, QVOD GVELPHERBITI EST, AS-
SESSORI MERITISSIMO

VICERECTORIS DIGNITATEM

IN ALMA IVLIA CAROLINA
DIE XXV. IVNII MDCCXLVIII.
PRIMVM FELICISSIME SVSCIPIENTI
DECENTISSIME GRATVLATVR

CHRISTOPHORVS MATHIAS SEIDEL
L. L. C. ET SOCIET. TEVT. HELMST. MEMBRVM.

HELMSTADI
LITTERIS LEVCKARDIANIS.

KONFRIED
UNIVERS.
ZV HALIE

